MOTET
DU
ROI

4° Δ
16646

Ste Geneviève

Δ 16646

4.16646

MOTETS
ET
ELEVATIONS
POUR LA CHAPELLE DU ROY,

Imprimez par Ordre de Sa Majesté.

Quartier de Janvier, Février & Mars 1714.



A PARIS,
De l'Imprimerie de CHRISTOPHE BALLARD, seul Imprimeur du Roy pour la Musique.

M. DCC. XIV.

TABLE
DES MOTETS
DE M. ROBERT.

TABLE.

TABLE DES MOTETS DE M. DE LULLY.

TABLE
DES MOTETS
DE M. DE LALANDE.

TABLE.

TABLE.

TABLE
DES ELEVATIONS.

MOTETS



MOTETS DE M. ROBERT.

PSALMUS XCI.

BONUM eſt confitéri Dómino : * & pſállere nómini tuo Altíſſime.

Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuam : * & veritátem tuam per noctem.

In decachórdo ſpaltério : * cum cántico in cíthara.

Quia delectáſti me, Dómine in factúra tua : * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine : * nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ.

BIBLIOTHEQUE SAINTE GENEVIEVE

Vir insípiens non cognóſcet :* & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres ſicut fœnum :* & apparúerint omnes qui operántur iniquitátem.

Ut intéreant in ſæculum ſæculi : * tu autem Altíſſimus in ætérnum, Dómine.

Juſtus ut palma florébit : * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini : * in átriis domus Dei noſtri florébunt.

PSALMUS XV.

CONférva me Dómine, quóniam ſperávi in te : * dixi Dómino, Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus : * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum : * póſtea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei : * tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim hæréditas mea preclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum : * ínſuper & uſque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper : * quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea : * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis ſanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecíſti vias vitæ ; adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

VEniat diléctus meus in hortum ſuum, & cómedat fructum pomórum ſuórum. Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa, méſſui myrrham meam cum aromátibus meis: Comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedíte amíci & bíbite, & inebriámini charíſſimi. Vox diléсti mei pulsántis: Aperi mihi, ſoror mea, amíca mea, Colúmba mea, immaculáta mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincínni mei guttis nóctium. Expoliávi me túnica mea, quómodo índuar illa? lavi pedes meos, quómodo inquinábo illos? Surréxi, ut aperírem diléсto meo, quia amóre lángueo. Quò ábiit diléctus tuus, ô pulchérrima muliérum? quò declinávit diléctus tuus? & quærémus eum tecum. Véniat diléctus meus in hortum ſuum, & cómedat fructum pomórum ſuórum.

PSALMUS CXLVI.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus : * Deo noſtro ſit jucúnda, decoraque laudátio.

Ædíficans Jerúſalem Dóminus : * diſperſiónes Iſraëlis congregábit.

Qui ſanat contrítos corde : * & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem ſtellárum : * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter & magna virtus ejus : * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne : * psállite Deo noſtro in cíthara.

Qui óperit cœlum núbibus : * & parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum : * & herbam ſervitúti hóminum.

Qui dat juméntis eſcam ipſórum : * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum : * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

PSALMUS XXXII.

EXultáte justi in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi

Cantáte ei cánticum novum : * benè psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini : * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * & in eis qui sperant misericórdia ejus.

Ut éruat à morte ánimas eórum : * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor & protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * & in nómine sancto ejus sperávimus.

DE CANTICIS CANTICORUM.

NOlíte me conſideráre, quod fuſca ſim, quia decolorávit me ſol: fílii matris meæ pugnavérunt contra me, poſuérunt me cuſtódem in víneis, víneam meam non cuſtodívi. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi paſcas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam poſt greges ſodálium tuórum. Si ignóras te, ô pulchérrima inter mulíeres, egrédere, & abi poſt veſtígia gregum, & paſce hædos tuos juxta tabernácula paſtórum. Diléctus meus mihi, & ego illi, qui páſcitur inter lília, donec aſpíret dies, & inclinéntur umbræ. Revértere: símilis eſto diléćte mi, cápreæ, hinnulóque cervórum ſuper montes Bethel.

PSALMUS CXIX.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi : * & exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis : * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi : * ad linguam dolósam ?

Sagítte poténtis acútæ : * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi ! quia incolátus meus prolongátus est, habitávi cum habitántibus Cedar : * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

PSALMUS XLV.

DEus noſter refúgium & virtus : * adjútor in tribulatiónibus , quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ ſunt aquæ eórum : * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus ; non commovébitur : * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes , & inclináta ſunt regna : * dedit vocem ſuam , mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobíſcum : * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte & vidéte ópera Dómini , quæ póſuit prodígia ſuper terram : * áuferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret , & confrínget arma : * & ſcuta combúret igni.

Vacáte , & vidéte quóniam ego ſum Deus : * exaltábor in Géntibus , & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíſcum : * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

PSALMUS LXXX.

EXultáte Deo adjutóri noſtro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum : * pſaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba : * insígni die ſolemnitátis veſtræ.

Quia præcéptum in Iſraël eſt : * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph poſuit illud, cùm exíret de terra Ægypti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus : * manus ejus in cóphino ſerviérunt.

In tribulatióne invocáſti me, & liberávi te ; exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis : * probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & conteſtábor te ; Iſraël, ſi audíeris me, non erit in te Deus recens : * neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, & implébo illud.

Si pópulus meus audíſſet me : * Iſraël ſi in viis meis ambuláſſet.

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem :* & ſupra tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei : * & erit tempus eórum in ſæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti :* & de petra melle ſaturávit eos.

EX CANTICIS
ISAIÆ ET ANNÆ.

EXultávit cor meum in Dómino : * & exaltátum eſt cornu meum in Deo meo.

Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos: * quia lætáta ſum in ſalutári tuo.

Non eſt ſanctus ut eſt Dóminus; neque enim eſt álius extra te : * & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolíte multiplicáre loqui ſublímia : * gloriántes.

Recédant vétera de ore veſtro : * quia Deus ſcientiárum Dóminus eſt , & ipſi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium ſuperátus eſt : * & infírmi accíncti ſunt róbere.

Repléti priùs , pro pánibus ſe locavérunt : * & famélici ſaturáti ſunt.

Donec ſtérilis péperit plúrimos : * & quæ multos habébat fílios , infirmáta eſt.

Dóminus mortíficat & vivíficat : * dedúcit ad ínferos , & redúcit.

Dóminus páuperem facit & ditat : * humíliat & súblevat.

Súſcitat de púlvere egénum : * & de ſtércore élevat páuperem.

Ut ſédeat cum princípibus :* & ſólium glóriæ téneat.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : * mementóte quóniam excélſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino quóniam magníficè fecit :* annuntiáte hoc in univérſa terra.

Exúlta, & lauda, habitátio Sion : * quia magnus in médio tui ſanctus Iſraël.

Exultávit cor meum, &c.

PSALMUS II.

QUare fremuérunt Gentes : * & pópuli meditáti ſunt inánia.

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum : * advérſus Dóminum, & advérſus Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos, * & Dóminus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua : * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum ejus : * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu : * ego hódie génui te.

Póſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam : * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.


Reges eos in virga férrea : * & tanquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc Reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínam , nequándo iraſcátur Dóminus : * & pereátis de via juſta.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus : * beáti omnes qui confídunt in eo.



PSALMUS CXXVI.

NIsi Dóminus ædificáverit domum : * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem : * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum : * ecce hæréditas Dómini, fílii ; merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

PSALMUS XXVI.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea: * quem timébo.

Dóminus protéctor vitæ meæ: * à quo trepidábo?

Dum appröpiant ſuper me nocéntes: * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei: * ipſi infirmáti ſunt & cecidérunt.

Si consíſtant advérſum me caſtra: * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérſum me prælium: * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram: * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini: * & víſitem templum ejus.

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo: * in die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me: * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis: * cantábo & pſalmum dicam Dómino.

Exáudi Dómine vocem meam qua clamávi ad te : * miſerére mei, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum, Exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me : * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto, ne derelínquas me : * neque deſpícias me Deus ſalutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua : * & dírige me in ſémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini : * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age : * & confortétur cor tuum, & ſúſtine Dóminum.

PSALMUS XCVII.

CAntáte Dómino cánticum novum :* quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus : * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum : * in conſpéctu Géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ : * & veritáti ſuæ dómui Iſraël.

Vidérunt omnes términi terræ : * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte & exultáte & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi : * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu Regis Dómini, moveátur mare, & plenitúdo ejus : * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia : * & pópulos in æquitáte.

PSALMUS XCVI.

DOminus regnávit, exúltet terra: * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus: * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet: * & inflammábit incircúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * & qui gloriántur in simuláchris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto : * & rectis corde lætítia.

Lætámini juſti in Dómino : * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

PSALMUS LXVII.

EXúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus: * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant: * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei: * & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, pſalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui aſcéndit ſuper occáſum; Dóminus nomen illi.

Exultáte in conſpéctu ejus: * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco ſancto ſuo: * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine: * ſimíliter eos qui exáſperant, qui hábitant in ſepúlchris.

Regna terræ cantáte Deo: * pſállite Dómino.

Pſállite Deo qui aſcéndit ſuper cœlum cœli: * ad Oriéntem.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis, date

glóriam Deo ſuper Iſraël : * magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſraël : * ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ, Benedíctus Deus.

PSALMUS XXII.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit :* in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me ſuper ſémitas juſtítiæ : * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala :* quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus : * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam : * advérſus eos, qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum : * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me : * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini :* in longitúdinem diérum.

PSALMUS LXIV.

TE decet hymnus Deus in Sion : * & tibi reddétur votum in Jerúſalem.

Exáudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos : * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegíſti, & aſſumpsíſti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus ſalutáris noſter : * ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis : * éxitus matutíni & véſpere delectábis

Viſitáſti terram & inebriáſti eam : * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis, paráſti cibum illórum : * quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecióſa deſérti : * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti ſunt aríetes óvium , & valles abundábunt fruménto : * clamábunt , étenim hymnum dicent.

PSALMUS CXXIX.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes : * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris Dómine : * Dómine quis ſuſtinébit.

Quia apud te propitiátio eſt : * & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus : * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem : * ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia : * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſraël : * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

DE CANTICIS CANTICORUM.

EGo flos campi, & lílium convállium. Sicut lílium inter ſpinas, ſic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna ſylvárum, ſic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus quem deſideráveram, ſedi; & dulcis fructus ejus gútturi meo. Introdúxit me Rex in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fúlcite me flóribus, ſtipáte me malis, quia amóre lángueo. Læva ejus ſub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Diléctus meus deſcéndit in hortum ſuum ad areólam arómatum, ut ibi paſcátur in hortis, & lília cólligat. Pulchra es amíca mea, ſuávis & decóra tanquam Jerúſalem, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta. Ego dilécto meo, & ad me convérſio ejus. Veni, veni, diléćte mi. Egrediámur in agrum, commorémur in villis. Manè ſurgámus ad víneas, videámus ſi flóruit vínea, ſi flores fructus partúriunt, ſi floruérunt mala púnica: ibi dabo tibi úbera mea. Mandragóræ dedérunt odórem in hortis noſtris. Omnia poma nova & vétera, diléćte mi, ſervávi tibi.

PSALMUS CXIII.

IN éxitu Iſraël de Ægypto : * domus Jacob de pópulo bárbaro.

Facta eſt Judæa ſanctificátio ejus : * Iſraël potéſtas ejus.

Mare vidit & fugit : * Jordánis convérſus eſt rétrorſum.

Montes exultavérunt ut aríetes : * & colles ſicut agni óvium.

Quid eſt tibi mare quòd fugíſti ? * & tu Jordánis, quia convérſus eſt rétrorſum ?

Montes exultáſtis ſicut aríetes :* & colles ſicut agni óvium.

A fácie Dómini mota eſt terra : * à fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in ſtagna aquárum : * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis Dómine, non nobis :* ſed nómini tuo da glóriam.

Super miſericórdia tua, & veritáte tua : * nequándo dicant gentes ; Ubi eſt Deus eórum ?

Deus autem noſter in cælo : * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simuláchra géntium, argéntum & aurum : * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur : * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non áudient : * nares habent, & non odorábunt.

Manus habent, & non palpábunt, pedes habent, & non ambulábunt : * non clamábunt in gútture ſuo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſraël ſperávit in Dómino : * adjútor eórum, & protéctor eórum eſt.

Domus Aaron ſperávit in Dómino : * adjútor eórum, & protéctor eórum eſt.

Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino : * adjútor eórum, & protéctor eórum eſt.

Dóminus memor fuit noſtri : * & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Iſraël : * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum : * pusíllis cum majóribus.


Adjíciat Dóminus ſuper vos : * ſuper vos, & ſuper fílios veſtros.

Benedícti vos à Dómino : * qui fecit cælum & terram.

Cælum cæli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te Dómine : * neque omnes qui deſcéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus , benedícimus Dómino : * ex hoc nunc , & uſque in ſæculum.



PSALMUS LXXXIV.

BEnedixísti Dómine terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus, salutáris noster : * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis : * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem.

Deus tu convérsus vivificábis nos : * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam : * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * & in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, & véritas obviavérunt sibi : * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta eſt : * & juſtítia de cælo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit : * & ponet in via greſſus ſuos.



PSALMUS XXXIII.

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant manſuéti, & lætentur.

Magnificáte Dóminum mecum : * & exaltémus nomen ejus in idípſum

Fxquisívi Dóminum, & exaudívit me : * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini : * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum : * & de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus * beátus vir qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum omnes ſancti ejus : * quóniam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

HYMNUS.

CHriste Redémptor ómnium,
Consérva tuos fámulos,
Beátæ semper Vírginis
Placátus sanctis précibus.

Beáta quoque ágmina
Cœléstium spiríttuum,
Prætérita, præséntia,
Futúra mala péllite.

Vates ætérni júdicis,
Apostolíque Dómini,
Supplíciter expóscimus
Salvári vestris précibus.

Martyres Dei ínclyti,
Confessoréſque lúcidi,
Vestris oratiónibus,
Nos ferte in cœléstibus.

Chori sanctárum Vírginum,
Monachorúmque ómnium,
Simul cum sanctis ómnibus.
Consórtes Christi fácite.

Gentem auférte pérfidam
Credéntium de fínibus;
Ut Christo laudes débitas
Persolvámus alácriter.



MOTETS DE M. DE LULLY.

PSALMUS L.

MISERE'RE mei Deus : * ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam.

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum : * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea : * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognóſco : * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci : * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus, concéptus ſum : * & in peccátis concépit me mater mea

Ecce enim veritátem dilexíſti : * incérta, & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſsópo, & mundábor : * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam : * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis : * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua : * & ſpíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui : * & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus Deus, Deus ſalútis meæ : & exaltábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries : * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes ſacrifícium, dedíſſem útique : * holocáuſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus : * cor contrítum, & humiliátum, Deus non deſpícies.

Benígnè fac Dómine in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes, & holocáuſta : * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

CANTIQUE DE ZACHARIE.

BEnedíctus Dóminus Deus Iſraël : * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ.

Et eréxit cornu ſalútis nobis : * in domo David púeri ſui.

Sicut locútus eſt per os ſanctórum : * qui à ſæculo ſunt, prophetárum ejus.

Salútem ex inimícis noſtris : * & de manu ómnium qui odérunt nos.

Ad faciéndam miſericórdiam, cum pátribus noſtris : * & memorári teſtaménti ſui ſancti.

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum : * datúrum ſe nobis.

Ut ſine timóre de manu inimicórum noſtrórum liberáti : * ſerviámus illi.

In ſanctitáte & juſtítia, coram ipſo : * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, prophéta Altíſſimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus.

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus : * in remiſſiónem peccatórum eórum.

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri : * in quibus viſitávit nos óriens ex alto.

Illumináre

Illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent : * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.



BIBLIOTHEQUE SAINTE GENEVIEVE

HYMNE DE S. AMBROISE,

ET DE S. AUGUSTIN.

TE Deum laudámus, * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem, * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli : * tibi cœli & univérsæ potestátes.

Tibi Chérubim & Séraphim, * incessábili voce proclámant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cœli & terra : * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chórus.

Te Prophetárum * laudábilis númerus.

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum, * sancta confitétur Ecclésia.

Patrem * imménsæ majestátis.

Venerándum tuum verum, * & únicum Fílium.

Sanctum quoque, * paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriæ * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius.

Tu ad liberándum ſuſceptúrus hóminem, * non horruíſti Vírginis úterum.

Tu devícto mortis acúleo, * aperuíſti credéntibus regna cœlórum.

Tu ad déxteram Dei ſedes : * in glória Patris.

Judex créderis * eſſe ventúrus.

Te ergo quæſumus fámulis tuis ſúbveni, * quos pretióſo sánguine redemíſti.

Ætérna fac cum ſanctis tuis * in glória munerári.

Salvum fac pópulum tuum Dómine : * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos : * & extolle illos, uſque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in ſæculum : * & in ſæculum ſæculi.

Dignáre Dómine die iſto * ſine peccáto nos cuſtodíre.

Miſerére noſtri Dómine : * miſerére noſtri.

Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos : * quemádmodum ſperávimus in te.

In te Dómine ſperávi : * non confúndar in ætérnum.

PSALMUS CXXIX.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes: * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris Dómine: * Dómine quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt: * & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem: * ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia: * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſraël: * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

PROSE DES MORTS.

DIes iræ, dies illa, ſolvet ſæclum in favílla, teſte David cum Sibílla.

Quantus tremor eſt futúrus, quando judex eſt ventúrus, cuncta ſtrictè diſcuſſúrus!

Tuba mirum ſpargens ſonum, per ſepúlcra regiónum, coget omnes ante thronum.

Mors ſtupébit & natúra, cùm resúrget creatúra, judicánti reſponsúra.

Liber ſcriptus proferétur, in quo totum continétur, undè mundus judicétur.

Judex ergo cùm ſedébit, quidquid latet apparébit, nil inúltum remanébit.

Quid ſum miſer tunc dictúrus? quem patrónum rogatúrus? cùm vix juſtus ſit ſecúrus.

Rex treméndæ majeſtátis, qui ſalvándos ſalvas gratìs, ſalva me fons pietátis.

Recordáre, Jeſu pie, quòd ſum cauſa tuæ viæ: ne me perdas illâ die.

Quærens me, ſedíſti laſſus, redemíſti crucem paſſus: tantus labor non ſit caſſus.

Juſtè judex ultiónis, donum fac remiſſiónis, ante diem rationis.

Ingemíſco tanquam reus; culpa rubet vultus meus: ſupplicánti parce Deus.

Qui Maríam abſolvíſti, & latrónem exaudíſti, mihi quoque ſpem dedíſti.

Preces meæ non ſunt dignæ ; ſed tu bonus fac benígnè : ne perénni cremer igne.

Inter oves locum præſta, & ab hœdis me ſequéſtra, ſtátuens in parte dextra.

Confutátis maledíctis, flammis ácribus addíctis, voca me cum benedíctis.

Oro ſupplex & acclínis, cor contrítum quaſi cinis, gere curam mei finis.

Lacrymóſa dies illa ! quâ resúrget ex favíllâ judicándus homo reus.

Huic ergo parce Deus.

Pie JESU Dómine, dona eis réquiem.

CANTICUM

PRO BAPTISMO DELPHINI.

PLaude, lætáre Gállia : Rore cœléſti rigántur lília : Sacro Delphínus fonte lavátur ; Et Chriſtiánus Chriſto dicátur. O Jeſu, vita credéntium ! Exáudi vota precántium ! Vivat, regnet Princeps fidélis, ſemper Juſtus, ſemper Victor, ſemper Augúſtus : Vivat, regnet, triúmphet in cœlis ; Et ſempitérnâ lúceat corónâ.



MOTETS ET ELEVATIONS DE M. DE LA LANDE.

PSALMUS CXXII.

AD te levávi óculos meos : qui hábitas in cælis.

Ecce ſicut óculi ſervórum : * in mánibus dominórum ſuórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ ſuæ : * ita óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, donec miſereátur noſtri.

Miſerére noſtri Dómine , miſerére noſtri : * quia multùm repléti ſumus deſpectióne.

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra : * oppróbrium abundántibus & deſpéctio ſupérbis.

PSALMUS XXVIII.

AFférte Dómino Fílii Dei : * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Vox Dómini ſuper aquas, Deus majeſtátis intónuit :* Dóminus ſuper aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vos Dómini confringéntis cedros : * & confrínget Dóminus cedros Líbani.

Et commínuet eas tanquam vítulum Líbani : * & diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * vox Dómini concutiéntis deſértum, & commovébit Dóminus deſértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénſa : * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit :* & ſedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit : * Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace.

DE CANTICO

DE CANTICO MOYSI.

Deut. XXXII.

AUdíte cæli quæ loquor : * áudiat terra verba oris mei.

Concréſcat ut plúvia doctrína mea : * fluat ut ros elóquium meum.

Quaſi imber ſuper herbam : * & quaſi ſtillæ ſuper grámina.

Nomen Dómini invocábo : * date magnificéntiam Deo noſtro.

Peccavérunt ei ; Generátio prava atque pervérſa : * hæccine reddis Dómino pópule ſtulte & insípiens ?

Numquid non ipſe eſt pater tuus : * qui te creávit ?

Deum qui te génuit dereliquíſti : * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus : * & ad iracúndiam concitátus eſt.

Ignis ſuccénſus eſt in furóre meo : * & ardébit uſque ad inférni novíſſima.

Devorábitque terram cum gérmine ſuo : * & móntium fundaménta combúret.

Inebriábo ſagítas meas ſánguine : * & gládius meus devorábit carnes.

Foris vaſtábit eos gládius : * & intus pavor.

Vidéte quòd ego ſim ſolus : * & non ſit álius Deus præter me.

Ego occídam, & ego vívere fáciam : * percútiam, & ego ſanábo.

Judicábit Dóminus pópulum ſuum : * & in ſervis ſuis miſerébitur.

Vidébit quòd infirmáta ſit manus : * & clauſi quoque defecérunt.

Laudáte gentes pópulum ejus : * quia sánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur.

Et vindíctam retríbuet in hoſtes eórum : * & propítius erit terræ pópuli ſui.

PSALMUS XXXI.

BEáti, quorum remíſſæ ſunt iniquitátes : * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum : * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea : * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua : * convérſus ſum in ærúmnâ meâ, dum confígitur ſpina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * & injuſtítiam meam non abſcóndi.

Dixi : Confitébor advérſùm me injuſtítiam meam Dómino : * & tu remisíſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus : * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum : * ad eum non approximábunt. *fin.*

Tu es refúgium meum à tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exultátio mea érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínſtruam te in viâ hac quâ gradiéris : * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fíeri ſicut équus & mulus : * quibus non eſt intelléctus.

In chamo & fræno maxíllas eórum conſtrínge : * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris : * ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino & exultáte juſti : * & gloriámini omnes recti corde.

DEïtátis majeſtátem, majeſtátis poteſtátem, in Sacraménto charitátis procidéntes adorémus.

O caro Chriſti vera, ô caro Chriſti viva, quàm ſapis, quàm dulcéſcis amánti ánimæ!

Te omnes Angeli, Chérubim & Séraphim, Throni & Dominatiónes, Principátus & Poteſtátes veneréntur.

Te orbis terrárum, & qui hábitant in eo charitáte ardentíſſimâ, & laude inceſſábili veneréntur.

Hîc enim miſéricors & miſerátor Dóminus, memóriam faciens mirabílium ſuórum, eſcam dedit diligéntibus ſe : cujus ſapóris prælibátâ dulcédine, novit fidélis ánima, novit quid Jeſus ſápiat, languet & déficit, mori desíderat, & eſſe cum Chriſto in cæli glóriâ.

Te omnes Angeli, Chérubim & Séraphim, Throni & Dominatiónes, Principátus & Poteſtátes veneréntur.

Te orbis terrárum, & qui hábitant in eo charitáte ardentíſſimâ, & laude inceſſábili veneréntur.

O mentis jubilátio ! ô caro Chriſti viva ! ô cordis delectátio ! ô caro Chriſti vera, omnis terra te adóret, & ſuperexáltet in ſæcula.

fin.

Quàm dulcis es cibus vitális ! quàm delectábilis menſa regális ! in qua fit convíva conſors deïtátis, & ſócius unitátis.

O bonitátis prodígium ! amóris incéndium, claritátis miráculum ! omnis terra te adóret, & ſuperexáltet in ſæcula.

PSALMUS CIX.

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos : * ſcabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in ſplendóribus ſanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum : * Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis : * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquaſſábit cápita in terrâ multórum.

De torrénte in viâ bibet ; * proptérea exaltábit caput.

PSALMUS CXXXIII.

ECce nunc benedícite Dóminum : * omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini : * in átriis domus Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta : * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion : * qui fecit cælum & terram.

PSALMUS XCIX.

JUbiláte Deo omnis terra : * ſervíte Dómino in lætítiâ.

Introíte in conſpéctu ejus : * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus : * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus, introíte portas ejus in confeſſióne : * átria ejus in hymnis confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus, in ætérnum miſericórdia ejus : * & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

PSALMUS CXVI.

LAudáte Dóminum omnes Gentes : * laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus : * & véritas Dómini manet in ætérnum.

CANTICUM BEATÆ MARIÆ.

MAgníficat * ánima mea Dóminum.

Et exultávit ſpíritus meus : * in Deo ſalutári meo.

Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt : * & ſanctum nomen ejus.

Et miſericórdia ejus à progénie in progénies : * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo : * diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.

Depóſuit poténtes de ſede : * & exaltávit húmiles.

Eſuriéntes implévit bonis : * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſraël púerum ſuum : * recordátus miſericórdiæ ſuæ.

Sicut locútus eſt ad patres noſtros : * Abraham & ſémini ejus in ſæcula.

PSALMUS XLVI.

OMnes gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélſus, terríbilis : * Rex magnus ſuper omnem terram.

Subjécit pópulos nobis , * & gentes ſub pédibus noſtris.

Elégit nobis hæreditátem ſuam : * ſpéciem Jacob, quam diléxit.

Aſcéndit Deus in júbilo , * & Dóminus in voce tubæ.

Pſállite Deo noſtro , pſállite : * pſállite Regi noſtro , pſállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * pſá[illegible] ſapiénter.

Regnávit Deus ſuper Gentes : * Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Príncipes populórum congregáti ſunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti ſunt.

PSALMUS LXXXIII.

QUàm diléċta tabernácula tua Dómine virtútum ! * concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea : * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum : * & turtur nidum ſibi , ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua Dómine virtútum : * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua Dómine : * in ſæcula ſæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te ; aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit : * in valle lachrymárum , in loco quem póſuit.

Etenim benedićtiónem dabit legiſlátor , ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéċtor noſter áſpice Deus : * & réſpice in fáciem Chriſti tui.

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis : * ſuper míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia in misericórdiam & veritátem díligit Deus : * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntiâ : * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

PSALMUS CXXXVI.

SUper flúmina Babylónis, illic ſédimus & flévimus, * dum recordarémur Sion.

In ſalícibus in médio ejus, * ſuſpéndimus órgana noſtra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos : * verba cantiónum.

Et qui abduxérunt nos : * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini : * in terrâ aliénâ.

Si oblítus fúero tui Jerúſalem : * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis : * ſi non memínero tui.

Si non propoſúero Jerúſalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor eſto Dómine filiórum Edom, * in die Jerúſalem.

Qui dicunt, Exinaníte, exinaníte : * uſque ad fundaméntum in eâ.

Fília Babylónis mísera : * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam , quam retribuísti nobis.

Beátus qui tenébit : * & állidet párvulos tuos ad petram.

HYMNUS.

VEni Creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supérnâ grátiâ,
Quæ tu creásti péctora.

Qui Paraclétus díceris,
Donum Dei altíssimi,
Fons vivus, ignis, cháritas,
Et spiritális únctio.

Tu septifórmis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu ritè promíssum Patris,
Sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen sénsibus,
Infúnde amórem córdibus,
Infírma nostri córporis,
Virtúte firmans pérpeti.

Hostem repéllas lóngiùs,
Pacémque dones prótinùs,
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.

Per te ſciámus da Patrem,
Noſcámus atque Fílium,
Te utriúſque ſpíritum
Credámus omni témpore.

Glória Patri Dómino,
Natóque qui à mórtuis
Surréxit, ac Paracléto,
In ſæculórum ſæcula.

PSALMUS LVI.

MIserére mei, Deus, miserére mei; * quóniam in te confidit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, & liberávit me; * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam & veritátem suam, & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum : * dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum, arma & sagíttæ; * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cælos, Deus; * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis : * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam : * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum, * cantábo, & psalmum dicam.

Exúrge glória mea, exúrge psaltérium & cíthara : * exúrgam dilúculo.

Fin.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & psalmum dicam tibi in géntibus.

Quóniam magnificáta est usque ad cælos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cælos, Deus, * & super omnem terram glória tua.

PSALMUS LXVI.

DEus misereátur nostri, & benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terrâ viam tuam : * in omnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes : * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis

Confitéantur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli, omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * & métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS VIII.

DOmine Dóminus, noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérsâ terrâ!

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecíſti laudem propter inimícos tuos: * ut déſtruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam & ſtellas quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam víſitas eum?

Minuíſti eum paulóminus ab Angelis, * glóriâ & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univérſas, ínſuper & pécora campi.

Vólucres cæli, & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine, Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérsâ terrâ!

PSALMUS CXII.

LAudáte púeri Dóminum; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum * ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum : * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus; * & super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cælo & in terra?

Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

PSALMUS CXLVII.

LAuda Jerúſalem Dóminum :* lauda Deum tuum Sion.

Quóniam cónfortávit ſeras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui póſuit fines tuos pacem , * & ádipe fruménti ſátiat te.

Qui emíttit elóquium ſuum terræ ; * velóciter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam ; * nébulam ſicut cínerem ſpárgit.

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit ?

Emíttet verbum ſuum , & liquefáciet ea ; * flabit ſpíritus ejus , & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob , * juſtítias & judícia ſua Iſraël.

Non fecit táliter omni natióni : * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

PSALMUS LXII.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quàm multiplíciter tibi caro mea.

In terrâ desértâ & ínviâ & inaquósâ : * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam, & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vitâ meâ : * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repléatur ánima mea : * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo; adhæsit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo; laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

fin.

HYMNUS.

CHriſte redémptor ómnium,
Ex Patre Patris únice,
Solus ante princípium,
Natus ineffabíliter.

Tu lumen, tu ſplendor Patris,
Tu ſpes perénnis ómnium,
Inténde quas fundunt preces
Tui per orbem fámuli.

Meménto ſalútis auctor,
Quòd noſtri quondam córporis,
Ex illibátâ Vírgine
Naſcéndo formam ſúmpſeris.

Sic preſens teſtátur dies.
Currens per anni círculum,
Quòd ſolus à ſede Patris
Mundi ſalus advéneris.

Hunc cælum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis eſt
Authórem advéntus tui
Laudans exúltat cántico.

Nos

Nos quoque qui ſancto tuo
Redémpti ſánguine ſumus,
Ob diem natális tui
Hymnum novum concínimus.

Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre & ſancto Spíritu
In ſempitérna ſæcula. Amen.

CAntémus Dómino glóriam & honórem, Jubilémus, modulémur, Deo noſtro Cánticum.

Quóniam excélſus Dóminus magníficus in ſanctitáte & Rex magnus ſuper omnes Deos.

Confitébimur tibi Deus, Confitébimur tibi, & lætábimur in ſalutári tuo.

In te cantátio { mea / noſtra } ſemper { exultábo, / exultábimus, } { laudábo / laudábimus } & { delectábor / delectábimur } in te.

Timéte Dóminum omnes pópuli ejus, timéte Dóminum quóniam terríbilis in majeſtáte, timéte & adoráte eum.

Ad te Dómine clamámus, te procidéntes adorámus, te mœréntes deprecámur, ne deſpícias nos Deus noſter.

Bonus eſt Dóminus ſperántibus in eum, bonus eſt ánimæ quæréntì illum : Speráte, gaudéte & psállite nómini ejus.

Lætémur in Dómino, laudémus nomen ejus in ætérnum.

PSALMUS CXXIX.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine exáudi vocem meam;

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; * Dómine quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt * & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus; * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſraël in Dómino;

Quia apud Dóminum miſericórdia: * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſraël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

PSALMUS LX.

EXáudi, Deus, deprecatiónem meam, * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam : * dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies, annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi ; * ut reddam vota mea de die in diem.

PSALMUS CXXV.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum eſt gáudio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum : * facti ſumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem noſtram, * ſicut torrens in Auſtro.

Qui ſéminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant, & flebant, * & mitténtes ſémina ſua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos ſuos.

PSALMUS CXXIII.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſraël, * niſi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíſſent nos:

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitan aqua abſorbuíſſet nos.

Torréntem pertransívit ánima noſtra; * fórſitan pertransíſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra, ſicut paſſer, erépta eſt, * de láqueo venántium:

Láqueus contrítus eſt; * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cælum & terram.

PSALMUS CXXX.

DOmine, non eſt exaltátum cor meum, * neque eláti ſunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua : * ita retribútio in ánimâ meâ.

Speret Iſraël in Dómino * ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

PSALMUS L.

MIserére mei, Deus * secúndùm magnam misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci: * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor; * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis; * & omnes iniquitátes meas dele.

Fin de la premiere Partie.

SECONDE

SECONDE PARTIE.

COr mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & ſpíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes ſacrifícium, dedíſſem útique, * holocáuſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes & holocáuſta: * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

PSALMUS XX.

DOmine in virtúte tua lætábitur Rex : * & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter.

Deſidérium cordis ejus tribuíſti ei : * & voluntáte labiórum ejus non fraudáſti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * poſuíſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo.

Vitam pétiit à te : * & tribuíſti ei longitúdinem diérum in ſæculum , & in ſæculum ſæculi.

Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo : * glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in ſæculum ſæculi , * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex ſperat in Dómino : * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira ſua conturbábit eos , & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes , * & ſemen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília quæ non potuérunt ſtabilíre.

Quóniam pones eos dorſum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

PSALMUS LXXXI.

DEus ſtetit in Synagóga deórum : * in médio autem deos dijúdicat.

Uſquequo judicátis iniquitátem, * & fácies peccatórum ſúmitis?

Judicáte egéno & pupíllo ; * húmilem & páuperem juſtificáte.

Erípite páuperem ; * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Neſciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant : * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi ; Dii eſtis, * & fílii Excélſi omnes.

Vos autem ſicut hómines moriémini, * & ſicut unus de princípibus cadétis.

Surge Deus, júdica terram : * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PROSE DES MORTS.

DIes iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favíllâ,
Teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futúrus,
Quando judex est ventúrus,
Cuncta strictè discussúrus!

Tuba mirum spargens sonum,
Per sepúlcra regiónum,
Coget omnes ante thronum.

Mors stupébit, & natúra,
Cùm resúrget creatúra,
Judicánti responsúra.

Liber scriptus proferétur,
In quo totum continétur,
Unde mundus judicétur.

Judex ergo cùm sedébit,
Quidquid latet apparébit,
Nil inúltum remanébit.

Quid ſum miser tunc dictúrus?
Quem patrónum rogatúrus?
Cum vix juſtus ſit ſecúrus.

Rex treméndæ majeſtátis,
Qui ſalvándos ſalvas gratis.
Salva me fons pietátis.

Recordáre, Jeſu pie,
Quòd ſum cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.

Quærens me ſedíſti laſſus,
Redemíſti crucem paſſus:
Tantus labor non ſit caſſus.

Juſte judex ultiónis,
Donum fac remiſſiónis
Ante diem ratiónis.

Ingemíſco tanquam reus;
Culpâ rubet vultus meus,
Supplicánti parce Deus.

Qui Maríam abſolvíſti,
Et latrónem exaudíſti,
Mihi quoque ſpem dedíſti.

Preces meæ non ſunt dignæ;
Sed tu bonus fac benignè,
Ne perénni cremer igne.

Inter oves locum præſta,
Et ab hædis me ſequéſtra,
Státuens in parte dextra.

Confutátis maledíctis,
Flammis ácribus addíctis,
Voca me cum benedíctis.

Oro ſupplex & acclínis,
Cor contrítum quaſi cinis,
Gere curam mei finis.

Lacrymóſa dies illa,
Qua reſúrget ex favílla,

Judicándus homo reus,
Huic ergo parce Deus.

Pie Jeſu Dómine,
Dona eis réquiem.

HYMNE DE SAINT AMBROISE, ET DE SAINT AUGUSTIN.

TE Deum laudámus : * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli , * tibi cæli & univérſæ poteſtátes.

Tibi Chérubim & Séraphim * inceſſábili voce proclámant.

Sanctus , Sanctus , Sanctus * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni ſunt cæli & terra * majeſtátis glóriæ tuæ.

Te glorióſus * Apoſtolórum chorus.

Te Prophetárum * laudábilis númerus.

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * ſancta confitétur Eccléſia

Patrem imménſæ majeſtátis.

Venerándum tuum verum , * & únicum Fílium.

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ , Chriſte.

Tu patris * ſempitérnus es Fílius.

Tu

Tu ad liberándum suscептúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum.

Tu devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glóriâ Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo, quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum Sanctis tuis * in glóriâ munerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * & in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto, * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi; * non confúndar in ætérnum.

MOTET DE SAINTE CECILE.

CAntémus vírginem,
Cantémus mártyrem,
Laudet & cóncinat
Orbis Cecíliam.

Sic in torméntis
Elevans ánimum,
Virgo fidélis
Orábat Dóminum.

Dómine, Dómine,
Immaculátum fiat cor meum:
Dómine, Dómine, súſtine me,
Per te crudélia
Vincam torménta:
Dómine, Dómine,
Adjúva me;
Per te martyrii
Palmas accípiam:
Fac pro te móriar,
Ut tecum vivam;
Fac tecum fruar
Cæléſti glória.

Résonent órgana,
Búccinet tuba,
Regna cæléstia,
Tangit Cecília,
Pulsáte tympana,
Résonent órgana.

Perge, perge virgo pia,
Tibi cæli apérti sunt;
Inter spinas florent lília,
Felíces qui passi sunt:
Perge, perge virgo pia,
Tibi cæli aperti sunt.

O felix maryr!
Cælórum pláusibus
Te canunt Angeli
Nostris concéntibus:
O felix martyr,
Sic nos te cánimus!

Résonent órgana,
Búccinet tuba,
Regna cæléstia
Tangit Cecília,
Pulsáte tympana,
Résonent órgana.

PSALMUS LXIX.

DEus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórſum & erubéſcant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim erubeſcéntes, * qui dicunt mihi; Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te, * & dicant ſemper; Magnificétur, Dóminus; qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper ſum: * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu; * Dómine ne moréris.

PSALMUS LIII.

DEus in nómine tuo ſalvum me fac; * & in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni inſurrexérunt advérſum me, & fortes quæſiérunt ánimam meam : * & non propoſuérunt Deum ante conſpéctum ſuum.

Ecce enim Deus ádjuvat me; * & Dóminus ſuſcéptor eſt ánimæ meæ.

Averte mala inimícis meis : * & in veritáte tua diſpérde illos.

Voluntárie ſacrificábo tibi : * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum eſt.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuíſti me; * & ſuper inimícos meos deſpéxit óculus meus.



PSALMUS XIX.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de ſancto : * & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrifícii tui : * & holocáuſtum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi ſecúndùm cor tuum : * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in ſalutári tuo : * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

Exáudiet illum de cælo ſanctó ſuo : * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt . * nos autem ſurréximus & eréćti ſumus.

Dómine ſalvum fac Regem , * & exáudi nos in die qua invocavérimus te.

PSALMUS III.

DOmine, quid multiplicáti ſunt, qui tríbulant me! * multi inſúrgunt advérſùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, ſuſcéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamàvi: * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum; * & exurréxi, quia Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine, ſalvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percuſsíſti omnes adversántes mihi ſine cauſa: * dentes peccatórum contrivíſti.

Dómini eſt ſalus: * & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

PSALMUS XLII.

JUdica me, Deus, & diſcérne cauſam meam de gente non ſancta, * ab hómine iníquo & dolóſo érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea : * quare me repuliſti ? & quare triſtis incédo, dum afflígit me inimícus ?

Emítte lucem tuam & veritátem tuam : * ipſa me deduxérunt & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus Deus meus : * quare triſtis es ánima mea ? & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi ? * ſalutáre vultus mei & Deus meus.

PSALMUS CXI.

BEátus vir qui timet Dóminum ; * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit ſemen ejus ; * generátio rectórum benedicétur :

Glória & divítiæ in domo ejus, * & juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Exórtum eſt in ténebris lumen rectis, * miséricors & miſerátor & juſtus.

Jucúndus homo qui miſerétur & cómmodat, diſpónet ſermónes ſuos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memóriâ ætérnâ erit juſtus ; * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus ſperáre in Dómino, confirmátum eſt cor ejus ; * non commovébitur dónec deſpíciat inimícos ſuos.

Diſpérſit, dedit paupéribus, juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi ; * cornu ejus exaltábitur in glóriâ.

Peccátor vidébit & iraſcétur, déntibus ſuis fremet & tabéſcet : * deſidérium peccatórum períbit.

PSALMUS XII.

USquequò Dómine oblivifcéris me in finem ? * úfquequò avértis fáciem tuam à me ?

Quándiu ponam consília in ánimâ meâ , * dolórem in corde meo per diem ?

Ufquequò exaltábitur inimícus meus fuper me ? * réfpice , & exáudi me , Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos , ne unquam obdórmiam in morte : * nequándo dicat inimícus meus; præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me , exultábunt fi motus fúero : * ego autem in mifericórdia tuâ fperávi.

Exultábit cor meum in falutári tuo , cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi , * & pfallam nómini Dómini Altíffimi.

PSALMUS IV.

CUm invocárem exaudívit me Deus juſtítiæ meæ : * in tribulatióne dilatáſti mihi.

Miſerére mei, * & exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úſquequò gravi corde ! * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium ?

Et ſcitóte, quóniam mirificávit Dóminus ſanctum ſuum : * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Iraſcímini, & nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus veſtris, in cubílibus veſtris compungímini.

Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, & ſperáte in Dómino : * multi dicunt ; Quis oſténdit nobis bona ?

Signátum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Dómine : * dedíſti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei ſui, * multiplicáti ſunt.

In pace in idípſum, * dórmiam & requiéſcam.

Quóniam tu, Dómine, ſinguláriter in ſpe * conſtituíſti me.

PSALMUS CXXVI.

NIſi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt, qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtra vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem súrgere; * súrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit dilectis ſuis ſomnum: * ecce hæréditas Dómini, fílii; merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis, * ita fílii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis; * non confundétur, cùm loquétur inimícis ſuis in portâ.

PSALMUS XXII.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit: * in loco paſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me ſuper ſémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

PSALMUS CXLIII.

BEnedíctus Dóminus Deus meus : qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & refúgium meum, * suscéptor meus, & liberátor meus.

Protéctor meus, & in ipso sperávi :* qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei :* aut fílius hóminis, quia réputas eum.

Homo vanitáti símilis factus est : * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cælos tuos, & descénde : * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, & dissipábis eos : * emítte sagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto, éripe me, & líbera me de aquis multis : * de manu filiórum alienórum.

Quorum os locútum est vanitátem :* & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus, cánticum novum cantábo tibi : * in psaltério decachórdo psallam tibi.

PSALMUS XLI.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam , & apparébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie ; ubi eſt Deus tuus ?

Hæc recordátus ſum , & effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis , uſque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confeſſiónis : * ſonus epulántis.

Quare triſtis es ánima mea : * & quare contúrbas me ?

Spera in Deo , quóniam adhuc confitébor illi : * ſalutáre vultus mei , & Deus meus.

PSALMUS CL.

LAudáte Dóminum in Sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro : * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

PSALMUS CXXI.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi : * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri : * in átriis tuis, Jerúſalem ;

Jerúſalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idípſum :

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini ; * teſtimónium Iſraël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem : * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tuâ : * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæſívi bona tibi.

PSALMUS CXXXVII.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi; * adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, & veritáte tua; * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes Reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit, * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me; Dómine, misericórdia tua in sæculum: * ópera mánuum tuárum ne despícias.

PSALMUS CXV.

CRédidi, propter quod locútus ſum; * ego autem humiliátus ſum nimis.

Ego dixi in excéſſu meo ; * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi ?

Cálicem ſalutáris accípiam , * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretióſa in conſpéctu Dómini mors ſanctórum ejus.

O Dómine , quia ego ſervus tuus , * ego ſervus tuus , & fílius ancíllæ tuæ.

Dirupíſti víncula mea : * tibi ſacrificábo hóſtiam laudis , & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli ejus , * in átriis domus Dómini , in médio tui Jerúſalem.

PSALMUS XLIV.

ERuctávit cor meum verbum bonum :* dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ : * velóciter ſcribéntis.

Snciósus formâ præ fíliis hóminum , diffúſa eſt grátia in lábiis tuis : * proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum : * potentíſſime.

Spécie tua & pulchritúdine tua : * inténde, próſperè , procéde & regna.

Propter veritátem , & manſuetúdinem , & juſtítiam : * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ , pópuli ſub te cadent : * in corda inimicórum regis.

Dilexíſti juſtítiam , & odíſti iniquitátem : * proptéreà unxit te Deus , Deus tuus , óleo lætítiæ præ conſórtibus tuis.

Audi fília , & vide , & inclína aurem tuam : * & oblivíſcere pópulum tuum , & domum patris tui.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii : * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * & in ſæculum ſæculi.

PSALMUS CXXVII.

BEáti omnes qui timent Dóminum , * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis , * beátus es , & benè tibi erit ;

Uxor tua ſicut vitis abúndans , * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui ſicut novéllæ olivárum , * in circúitu menſæ tuæ :

Ecce ſic benedicétur homo * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion ; * & vídeas bona Jerúſalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum , * pacem ſuper Iſraël.

PSALMUS XLV.

DEus noſter refúgium & virtus : * adjútor in tribulatiónibus , quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ ſunt aquæ eórum : * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus , non commovébitur : * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes , & inclináta ſunt regna : * dedit vocem ſuam , mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobíſcum : * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte & vidéte ópera Dómini , quæ póſuit prodígia ſuper terram : * áuferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret , & confrínget arma : * & ſcuta combúret igni.

Vacáte , & vidéte quóniam ego ſum Deus : * exaltábor in Géntibus , & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíſcum : * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

PSALMUS XCV.

CAntáte Dómino cánticum novum ; * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus ; * annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis ; * terríbilis eſt ſuper omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia ; * Dóminus autem cælos fecit.

Confésſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus, * ſanctimónia, & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem, * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus ; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérſa terra : * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur

Læténtur cæli, & exúltet terra, commoveátur mare & plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna ſylvárum à fácie Dómini, quia venit ; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte ſua.

un seul couplet.

PSALMUS CX.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in consílio justórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus, * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus; * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui; * virtútem óperum suórum annunciábit pópulo suo.

Ut det illis hæreditátem géntium; * ópera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculum sæculi, facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo; * mandávit in ætérnum testaméntum suum:

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

PSALMUS XCIV.

VEníte, exultémus Dómino, jubilémus Deo ſalutári noſtro.

Præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne, & in pſalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus ſuper omnes Deos.

Quóniam non repéllet Dóminus plebem ſuam, quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipſe cónſpicit.

Quóniam ipsíus eſt mare, & ipſe fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus.

Veníte adorémus, & procidámus ante Deum.

Plorémus coram Dómino qui fecit nos; quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter.

Nos autem pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus.

Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra, ſicut in exacerbatióne ſecúndùm diem tentatiónis in deſérto : ubi tentavérunt me patres veſtri, probavérunt, & vidérunt ópera mea.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi, ſemper hi erant corde : ipſi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, ſi introíbunt in réquiem meam.

PSALMUS CXLVI.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus, * Deo noſtro ſit jucúnda, decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúſalem Dóminus : * diſperſiónes Iſraëlis congregábit.

Qui ſanat contrítos corde : * & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem ſtellárum : * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus : * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne : * pſállite Deo noſtro in cíthara;

Qui óperit cælum núbibus, * & parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, & herbam ſervitúti hóminum;

Qui dat jumentis eſcam ipſórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

PSALMUS CXIX.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi; * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid opponátur tibi, * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est, habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

PSALMUS XLVII.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion: * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt, * convenérunt in unum.

Ipſi vid.éntes ſic admiráti ſunt, conturbáti ſunt, commóti ſunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in ſpíritu vehem énti cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam, * in médio templi tui

Secúndùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & compleƈtímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, & diſtribúite domos ejus ; * ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſæculum ſæculi : * ipſe reget nos in ſæcula.

PSALMUS LXXIV.

COnfitébimur, tibi, Deus, * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cùm accépero tempus, ego juſtítias judicábo.

Liquefácta eſt terra, & omnes qui hábitant in ea : * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis, nolíte iníquè ágere ; * & delinquéntibus, nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu veſtrum, * nolíte loqui advérsùs Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque à deſértis móntibus ; * quóniam Deus judex eſt.

Hunc humíliat, & hunc exáltat : * quia calix in manu Dómini, vini meri plenus mixto.

Et inclinávit ex hoc in hoc, verúmtamen fæx ejus non eſt exinaníta ; * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in ſæculum ; * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam ; * & exaltabúntur córnua juſti.

CANTICUM

CANTICUM ZACHARIÆ.

BEnedíctus Dóminus Deus Iſraël : * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ.

Et eréxit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui.

Sicut locútus eſt per os Sanctórum, * qui à ſæculo ſunt Prophetárum ejus.

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium, qui odérunt nos.

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris : * & memorári teſtaménti ſui ſancti.

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis.

Ut ſinè timóre de manu inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi.

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo * ómnibus diébus noſtris.

Et tu puer prophéta Altíſſimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus.

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus * in remiſſiónem peccatórum eórum.

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos óriens ex alto.

Illumináre his qui in ténebris, & in umbrâ mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

PSALMUS LXXV.

NOtus in Judæa Deus : * in Iſraël magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus : * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias arcuum : * ſcutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis : * turbáti ſunt omnes inſipiéntes corde.

Dormiérunt ſomnum ſuum : * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpatióne tua Deus Jacob : * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis reſíſtet tibi ? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecíſti judícium : * terra trémuit, & quiévit.

Cùm exúrgeret in judícium Deus : * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi : * & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro : * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum : * terríbili apud reges terræ.

PSALMUS XXVII.

AD te Dómine clamábo, Deus meus ne síleas à me : * ne quando táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te : * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus : * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo : * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndùm ópera eórum : * & secúndùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tríbue illis : * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini : * & in ópera mánuum ejus destrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus : * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus : * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et reflóruit caro mea : * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebi ſuæ : * & protéctor ſalvatiónum Chriſti ſui eſt.

Salvum fac pópulum tuum Dómine : * & bénedic hereditáti tuæ, & rege eos, & extólle illos uſque in æternum.

PSALMUS XCVI.

DOminus regnávit, exúltet terra : * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes, & cáligo in circúitu ejus : * justítia, & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet : * inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, & commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt à fácie Dómini : * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília : * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ : * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum :* custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto : * & rectis corde lætítia.

Lætámini juſti in Dómino : * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

PSALMUS XXIX.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te : * & sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam :* salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus : * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus, & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántiâ meâ : * Non movebor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tuâ : * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam à me :* & factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo :* & ad Deum meum deprecábor.

Quæ vílitas in sánguine meo : * dum descéndo in corruptionem ?

Numquid

Numquid confitébitur tibi pulvis : * aut annuntiábit veritátem tuam ?

Audívit Dóminus, & miſértus eſt mei : * Dóminus factus eſt adjútor meus.

Convertíſti plantum meum in gáudium mihi : * conſcidíſti ſaccum meum, & circumdedíſti me lætítia.

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar : * Dómine Deus meus in æténum confitébor tibi.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

HYMNUS.

PAnge lingua glorióſi
Córporis myſtérium,
Sanguiníſque pretióſi,
Quem in mundi prétium,
Fructus ventris generóſi
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta vírgine,
Et in mundo conversátus
Sparſo verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clauſit ordine.

In ſupréme noctæ Cœnæ
Recúmbens cum frátribus
Obſerváta lege plene
Cibis in legálibus
Cibum turbæ duodénæ
Sedat ſuis mánibus.

Verbum caro pane mv erum,
Verbo carnem éfficit,
Fitque ſanguis Chriſti merum,
Et ſi ſenſus déficit,
Ad firmandum cor ſincérum
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum,
Venerémur cernui:
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui,
Præſtet fides ſuppleméntum
Sénſuum deféctui.

Genitóri, Genitóque
Laus & jubilátio,
Salus honor, virtus quoque
Sit & benedíctio,
Procedénti ab utróque
Compar ſit laudátio. Amen.

PSALMUS CIV.

CONfitémini Dómino & invocáte nomen ejus :* annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei : * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus : * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini : * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit : * prodígia ejus, & judícia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus : * fílii Jacob elécti oris ejus.

Ipse est Dóminus Deus noster :* in univérsa terra judícia ejus.

Expándit nubem in protectiónem eórum : * & ignem ut lúceret eis per noctem.

Petiérunt & venit cotúrnix : * & pane cæli saturávit eos.

Dírupit petram, & fluxérunt aquæ : *abiérunt in Sicco flúmina.

Quóniam memor fuit verbi sancti sui : * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et edúxit pópulum ſuum in exultatióne : * & eléctos ſuos in lætítia.

Et dedit illis regiónes géntium : * & labóres populórum poſſedérunt ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus, & legem ejus requírant.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

HYMNUS.

VErbum supérnum prodiens
Nec Patris linquens déxteram
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem à discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Priùs in vitæ ferculo,
Se trádidit Discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit & sánguinem,
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convescens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O Salutáris Hóstia,
Quæ cæli pandis óstium,
Bella premunt hostília,
Da robur fer auxílium.

Uni trinóque Dómino
Sit ſempitérna glória,
Qui vitam ſine término,
Nobis donet in Pátria. Amen.

PSALMUS II.

QUare fremuérunt gentes : * & pópuli meditáti ſunt inánia.

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum : * advérſus Dóminum, & advérſus Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * & projiciámus à nobis jugum ipſórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos : * & Dóminus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua : * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus : * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu : * ego hódie génui te.

Póſtula à me, & dabo tibi gentes hereditátem tuam : * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea : * & tanquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte

Servíte Dómino in timóre : * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínam, nequándo iraſcátur Dóminus : * & pereátis de via juſta.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus :* beáti omnes qui confídunt in eo.

PSALMUS LXVII.

EXúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus : * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant : * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei : * & delectentur in lætítia.

Cantáte Deo, pſalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei qui aſcéndit ſuper occáſum, Dóminus nomen illi.

Exultáte in conſpéctu ejus : * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Regna terræ, cantáte Deo : * psállite Dómino.

Psállite Deo, qui aſcéndit ſuper cœlum cœli : * ad Oriéntem.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis, date glóriam Deo ſuper Iſraël : * magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſraël ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ : * benedíctus Deus.

PSALMUS XCVII.

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus : * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum : * in conſpéctu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ : * & veritátis ſuæ dómui Iſraël.

Vidérunt omnes términi terræ : * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi : * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu Regis Dómini, moveátur mare, & plenitúdo ejus : * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia : * & pópulos in æquitáte.

HYMNUS.

SAcris solémniis juncta sint gáudia,
Et ex præcórdiis sonent præcónia,
Recédant vétera, nova sint ómnia,
Corda, voces, & ópera.

Noctis recólitur cœna novíssima,
Quâ Christus créditur agnum & ázima,
Dedísse frátribus, juxta legítima
Priscis indúlta Pátribus.

Post agnum typicum, explétis épulis,
Corpus Domínicum datum Discípulis,
Sic totum ómnibus, quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.

Dedit fragílibus córporis férculum,
Dedit & trístibus sánguinis póculum,
Dicens, accípite quod trado vásculum;
Omnes ex eo bíbite.

Sic sacrifícium istud instítuit,
Cujus offícium commítti vóluit
Solis Presbyteris, quibus sic cóngruit,
Ut sumant & dent cæteris.

Panis Angélicus fit panis hóminum;
Dat panis cælicus figúris términum :
O res mirábilis ! mandúcat Dóminum,
Pauper, ſervus & húmilis.

Te trina Déitas unáque póſcimus,
Sic nos tu víſita, ſicut te cólimus,
Per tuas ſémitas duc nos quo téndimus,
Ad lucem quam inhábitas. Amen.

PSALMUS XXXII.

EXultáte justi in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in císthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * benè psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini : * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, & facta sunt :* ipse mandávit, & creáta sunt.

Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo : * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Ecce óculi Dómini ſuper metuéntes eum : * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Ut éruat à morte ánimas eórum : * & alat eos in fame.

Anima noſtra ſúſtinet Dóminum : * quóniam adjútor & protéctor noſter eſt.

Quia in eo lætábitur cor noſtrum : * & in nómine ſancto ejus ſperávimus.

Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos : * quemádmodum ſperávimus in te.

PSALMUS CXLIV.

EXaltábo te Deus meus rex : * & benedícam nómini tuo in ſæculum , & in ſæculum ſæculi.

Per ſíngulos dies benedícam tibi : * & laudábo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magnus Dóminus , & laudábilis nimis : * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua : * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur : * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent : * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ ſuavitátis tuæ eructábunt : * & juſtítia tua exultábunt.

Miſerátor & miſéricors Dóminus : * pátiens, & multùm miſéricors.

Suávis Dóminus univérſis : * & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua :* & ſancti tui benedícant tibi.

Fin

Glóriam regni tui dicent : * & poténtiam tuam loquéntur.

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam : * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

ELEVATIONS

ELEVATIONS.

SAlve caro Salvatóris, in quâ latet mel dulcóris, in quâ fulget vis amóris, & fons manat secúræ salútis.

In hoc Sacraménto mirábili confirmátur super nos misericórdia Dómini, & véritas cum charitáte manet in ætérnum.

In hoc salutári convívio adest mentis reféctio, & cordis amántis salutáris consolátio.

O Jesu amábilis! ô sponte desiderábilis! quàm dulcis, quàm suávis es in Sacraménto altáris! ad te suspíro, ô Jesu amábilis! nihil præter te requíro.

In te sunt mea gáudia, tu solus vita mea, tu salus, tu lux, & Deus meus es, & ómnia.

JEsu quem velátum nunc aspício,
Oro fiet istud, quod tam sítio:
Ut te reveláta cernens fácie,
Visu sim beátus tuæ glóriæ.

O Salutáris Hóstia!
Quæ cæli pandis óstium,
Bella præmunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

Ave verum corpus natum de Maríâ vírgine: Verè passum immolátum in cruce pro hómine: Cujus latus perforátum unda fluxit cum sánguine. Esto nobis prægustátum mortis in exámine. O dulcis! ô pie! ô Jesu fili Maríæ! miserére mei.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui;
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui:
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.

IGnis vivus, dulcis flamma
Ure pectus & inflámma:
Flecte cordis íntima.
O convívium amóris!
O mensa tanti candóris!
In te vivit ánima.
Tu, fidélium solámen,
Tolle méntium velámen
Luce fulgentíssimâ.

Ignis vivus, dulcis flamma
Ure pectus & inflámma:
Flecte cordis íntima.

AD gáudia cordis, ad cántica laudis,
Invítat amor, urget diléctio, & trahit cháritas.
Ecce ſponſus Jeſus totus amábilis,
Qui immortáli carne vivâ
Paſcit fidéles convívas
Quos pretióſo redémit sánguine.
O pietátis prodígium! ô amor!
O charitátis miráculum!
In hac ſalutári mensâ
Cordis viva contrítio
Sanat noſtram infirmitátem:
Et devóta commúnio
Dat præviam felicitátem.
Exultémus jubilántes,
Affectu piiſſimo.
Jubilémus exultántes,
Corde devotiſſimo:
In hoc triumphális menſæ
Suávi convívio.

O Bone Jeſu Salvátor noſter, inténde précibus fidélium:

Déxtera tua prótegat fámulos diligéntes te.

Noſtra eſt in te réquies, dulcis Jeſu, ſpes ómnium:

Te ſúpplices deprecámur ne perdas quos creáſti.

Multum peccávimus, dona reis remédium.

Nos vide, nos fove, ad bonum nos trahe, à malo nos deffénde, nos tuére, nos ama, nos rege, nos ſalva.

Jeſu cordis noſtri deſidérium, ánimæ dulce refrigérium, ſis nobis in fletu ſolátium.

Gubérna quos sánguine redemíſti, & nobis inter oves locum præſta.

PRoperáte multitúdo filiórum Iſraël, properáte qui laborátis, & in mensâ quæ vobis præparátur, fructus ſalutíferos guſtábitis.

O bónitas Jeſus admirábilis, Corpus in cibum, sánguinem in potum præbet fidélibus.

O bónitas Jeſus admirábilis.

Adorémus omnes divínæ pietatis Sacraméntum ineffábile. Et amémus Creatórem qui venit ſalváre nos.

FIN.

BIBLIOTHEQUE SAINTE GENEVIEVE S